

CAP. III.

DE OPERIBUS VIAE PURGATIVAE GENERATIM.

58. — **Opera viae purgativae** seu in quibus principaliter exerceri debet anima purganda ad tria capita reducuntur: VITARE MORTALIA, VENIALIA et TEPOREM. Ratio est quia purgatio importat primario ut anima spiritualiter vivat, ac proinde ut libera sit a peccatis mortalibus utpote quae animam occidunt; deinde ut periculum mortis longe fiat, quod fit per fugam venialium deliberatorum utpote quae disponunt ad mortalia; tandem ut pugna non cesset, quod difficile evadit ubi regnat tepor.

ART. I. — De Mortalibus destruendis et vitandis.

59. — **Vitare mortalia.** — Totius vitae spiritualis finis est charitatis augmentum et major amicitia cum Deo. Unde, primo vivendum est et in via perseverandum ut quis possit esse in via perfectionis. Vitari debent, id est, destrui per poenitentiam peccata vitae anteactae, et futurorum peccatorum pericula praecaveri, ut non amplius redeamus ad vitiorum coenum.

60. — **Media ad peccata mortalia destruenda et vitanda.** — Haec autem, Deo dante, sequentibus mediis obtinentur: PER SACRAMENTALEM CONFESSIONEM, CONTRITIONEM, HUMILEM COMPUNCTIONEM, PUGNAM CONTRA TENTATIONES, FUGAM OCCASIONUM, SUI DIFFIDENTIAM, IN DEO FIDUCIAM et ORATIONEM.

61. — **Confessio** (ac consequenter devota susceptio SS. Eucharistiae). — I. Etenim, praeter ea quae in Theol. Morali dicuntur, juvat illud D. Bonaventurae considerare: « Fundamentum, ait, et janua virtutum omnisque gratiae, ac spiritualis consolationis principium, est conscientiae puritas ac cordis munditia, ad quam principaliter et praecipue per puram et veram ac integram et perfectam confessionem peccatorum acceditur » (*De mod. confit.* c. 1). — II. Expedit ut anima purganda, post primam a conversione confessionem, nunquam obliviscatur *quid fuit*; et quamvis jam perfecte confessa fuerit, bonum erit, saepe aliquod anteactae vitae peccatum clavibus iterum subicere, non solum ad materiam certam forte praebendam, sed etiam ad dolorem et salutarem confusionem cum merito adaugendum. — III. Cavendum tamen a nimia circumstantiarum peccatorum jam rite confessorum repetitione: sed sufficit ut generaliori modo, absque scrupulo, et *iuxta confessarii iudicium* quis confiteatur. Ipsa vero confessionis consuetudo pro viribus sit frequens: utinam singulis hebdomadibus!... — IV. Vade ad poenitentiae sacramentum ad animae puritatem quaerendam et adaugendam: esto brevis, modestus, sincerus, et noli tibi, confes-

sario et aliis fidelibus molestus fieri inutilibus historiis et commentariis ad modum quarundam mulierularum et non recte devotarum. — V. *Notent confessarii* quod non raro personae devotae exponunt sacramentum poenitentiae nullitati, ob defectum materiae circa quam verum dolorem et propositum conceperint. Unde prudenter instruant devotos et saltem faciant ut se accusent, de antiquis venialibus quae vere detestentur, v. gr. de impatientiis totius vitae...

62. — **Contritio.** — Praeter Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae accuratam et frequentem receptionem, saepissime magis magisque purgetur anima per breves et frequentiores contritionis actus, quibus gratia adaugeatur, et horror peccati intensior fiat. Hugo Victor. contritionis motiva ad triplex caput reducit dicendo: « *dolor cordis triplex, acer, acrior, acerrimus.* Acer quia Creatorem offendisti, « *cujus legem cum coelestia, terrestria conservent, in* « *tanta Republica Dei, tu solus peregrinus es, Imperatoriae Majestatis dexteram contemnens.* Acrior, « *quia cum Creatore atrem etiam ad Piram provocasti,* « *qui tibi ministrat siderum cursus et fructuum ubertatem.* Acerrimus, qui pertranseat animam, quod « *beneficium contempseris ejus, qui dolorem crucis* « *sustinuit, ne dolorem amplius sustineris inferni.* » Dicat ergo frequenter anima purganda: « O Jesu, tibi soli peccavi... parce, parce! »

63. — **Compunctio hic sumitur quasi habitualis animi dolor et quasi continua et humillima recordatio propriae indignitatis, et merito vocanda**

cordis punctio qua frequenter ad odium peccatorum incitatur. Ejus utilitas est maxima: Si enim « minima (sed vera) contritio omnes animae maculas delet, mortem aeternam occidit, benedictionem Dei Patris confert, amicitiam Filii Dei reddit, familiaritatem Spiritus Sancti, societatem civium supernorum restituit » (S. Aug. *De parad. anim.* p. 1); quot quantaque spiritualia proventa et ad resistendum diabolo vires acquirat anima per habitualement contritionem verbo, ore, opere, interne externeque per compunctionem adauctam? — Vera compunctio habet socium sanctum timorem, humilitatem, et magnam displicentiam vitae anteactae cum moderamine spei et pacis.

64. — **Pugna contra tentationes,** vix enascentes et quocumque modo et tempore animam pulsant bello, ut dictum est N. 57, X, XII. — Vide *Th. Moral.* ubi *de concupisc., de peccatis,* etc. — TENETO I. Tentationes contra fidem et castitatem potius superantur tentatorem aspernando et animum ad alia vertendo, quam quasi facie ad faciem cum inimico disputando. — « II. Eligamus potius ardere quam cedere: etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum vehementer afflixerit » (S. Bern. *serm.* 3 *vig. Nativ.*). — III. « Vigilandum est praecipue circa initia tentationis: quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur, sed extra limen statim ut pulsaverit, illi obviatur » (De *Imit. Chr.* l. 1, c. 13). — IV. « Diabolus tentat improbe et procaciter, sicut musca; quia saepe repulsus saepe

redit: et sicut canis impudens, per unam januam pulsus, redit per aliam » (Jo. Trith. l. 1, *hom.* 21 *ad Monach.*). — V. « Hic est optimus modus contra tentationes diaboli, non litigare cum eo, id est non turbari » (Hugo Viet. *sup. Isa.* c. 36). — VI. « Diabolus illi qui recedit ab eo, fortius persequitur, omni peccatorum genere tentans, nunc de isto, nunc de illo: et si forte inveniatur otiosus, cito subvertit eum » (id. *sup. Gen.* c. 14). — VII. « Daemonem audit, qui tentationem sentit: exaudit vero, qui tentationi consentit » (S. Greg. Magn. l. 4, *Moral.* c. 31): ergo non confundas sensum cum consensu. — VIII. Si tentatio per aliquod tempus cessat, in pace para bellum; nam « diversis machinis diabolus utitur, et cum certamini manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat ut vincat; ad hoc fugam simulat ut persequentem nimis post tergum sagittis occidat » (S. Fulgent.). — IX. « Tantum permittitur diabolus tentare quantum tibi prodest ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas a teipso inveniaris » (S. Aug. *sup. ps.* 61). — X. Ergo anima purganda speret in Deo, humiliter et fortiter pugnet, inimicum non timeat supra modum, et firmabitur in charitate et accipiet coronam victoriae.

65. — Fuga occasionum. — Vide quae dicta sunt in *Th. Morali*. — TENETO 1° Considerandae causae generales et praesertim causae particulares antea-
torum lapsuum, ut vigilantia rite exerceatur et prudenter. Saepe enim fit ut insidiae diaboli efficaces evadant quia invenit homines imparatos aut non

recte paratos ad pugnam: proposita enim generaliora sive non sufficienter ad casus particulares applicata, inefficaciora evadunt. — 2° « Subtrahenda nobis occasio est, et opportunitas fugienda peccati » (S. Bern. *serm. de 7 don. Sp. S.*). — 3° « Tolle originem causae, et mox occasionem removebis offensae » (Euseb. *serm. contra div. vitia*). — 4° « Quamdiu quis occasiones noxias non vitat, impossibile erit a corde ejus perturbationes pravaram cogitationum et incendium improbarum concupiscentiarum recedere » (S. Ephrem, *de mala conversat.*). — 5° « Difficile est assueta relinquere, et a pristinis vitiis, praesente occasione, abstinere » (Jo. Trith. *de inst. vit. sacerdot.*).

66. — Diffidentia sui. — Experientia enim intelligat purgandus quam fragilis, quam miser, quam pauper sit; meminerit quid fuerit, recogitet quid sit, et videat quid ex seipso erit si Deus ei non auxiliaretur. Deploret ergo quod fuit, laboret ut melior evadat, et non ex suis viribus, sed ex Dei adiutorio speret quod bene ipsi erit, id est, recte in viis Domini ambulabit et perfectionem assequetur. — HINC I. « Vere homo habet timere et non praesumere, considerata hominum invaliditudine, daemonum fortitudine, et lapsorum multitudine » (S. Antonin., p. 2, t. 3, c. 6). — II. « Superbum est de non peccandi facilitate praesumere, cum hoc ipsum praesumpsisse peccatum est » (S. Leo I, *serm.* 3 *Quadr.*). — III. « Nemo se falsa securitate decipiat, ut de suis viribus periculose praesumat » (S. Aug. *de hon. mulier.* c. 2). — Ergo IV. « Noli sperare de te,

sed de Deo tuo; nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te, quia nondum invenit unde sit secura de te » (id. ps. 41, v. 8).

67. — **Fiducia** seu spes in Deo. Omnia poterit purgandus si jactat cogitatum suum in Deo, et in ejus protectione et bonitate fiducialiter speret. Timor tui, et spes in Dei adjutorio sint duo alae quibus ad sublimia charitatis pedetentim eleveris. Unde, « cujuscumque rei adipiscendae spem quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra sit videat » (S. Aug. l. 10, *de Trinit.* c. 1).

68. — **Oratio.** — Medium quod hic ultimo inserimus loco est medium mediorem ad peccata vitanda et destruenda: oratione siquidem obtinetur gratia bene confitendi, oratione vera contritio, oratione vita compunctionis, oratione vigor ad pugnandum contra tentationes, oratione assiduitas et firmitas ad fugiendas occasiones, oratione diffidentia sui et spes seu fiducia in Deo, imo oratione obtinetur magna, saluberima et valde necessaria orandi gratia. Vide *Theol. Mor.*, ubi *de virtute Religionis*. — Dicendum ergo: 1° « Vere novit recte vivere, qui recte novit orare » (S. Bonav. *serm.* 5, *de mun. confess.*). — 2° Oratio « iram Dei placat, peccatorum veniam impetrat, tentationis impetum sedat, vitia cordis expellit, in periculo liberat, a periculis defendit, difficultates complanat, familiaritatem Dei confert... Omnia contraria saluti reprimat; necessaria confert, et conservat, et perficit » (Id. l. 2, *de Prof. rel.* c. 66). — « 3° Fre-

uens et fervens oratio dissipat omne malum: ollae ferventi muscae non insident » (Id. *Spec. dis.* p. 1, c. 2). — *De Oratione mentali, alibi.*

ART. II. — De vitandis venialibus peccatis.

69. — **Vitare venialia.** — « Cum septies in die « cadat justus, ut ait Sapiens, non est credibile quam « variae sint incipientium imperfectiones. Quae magis « torquent, sunt peccata venialia: nam licet justus in « gratia perseveret, non est credibile quantum peccata venialia charitatis perfectionem ac intimam cum « Deo unionem impediunt. Hinc in Canticis Canticorum « dixit Spiritus Sanctus: Capite nobis vulpes parvulas, « quae demoliuntur vineas. Haec vinea in qua per « gratiam et charitatem Deus inhabitat, juxta illud « canticor. Vineam meam coram me est, morsibus vulpium parvularum demolitur: — nam licet venialia, « etsi plura, non tollant gratiam vel charitatem, eam « perturbant, infrigescunt, et impediunt ne homo cum « Deo uniatur » (Ant. a Spir. S., *Dir. Myst.* tr. 2, disp. 1, sect. 2).

70. — **Media ad peccata venialia vitanda sunt CONTRITIO, TIMOR, LABOR, REPARATIO, PAX CUM HUMILITATE.** — **NOTA:** 1° Hic praesupponimus quae in Th. Morali dicuntur de natura et effectibus venialium, de effectibus sacramentorum, de sacramentalibus, etc. — 2° Memento tamen versuum: Veniale offendit Dominum; decus imminuitque timorem; — sub-

trahit auxilia; ad poenam et mortalia ducit. — 3° Quae in praecedenti articulo diximus valde inservire possunt, ut patet, ad venialia fugienda et destruenda. — 4° Sacramentalia sunt: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

71. — Contritio. — Quanto magis quis dolet de mortalibus peccatis, tanto facilius detestatur et fugiet venialia, ob charitatem per intensiorem dolorem de praeteritis valde adhaerentem. Consequenter qui vere et frequenter dolet non solum de mortalibus, sed etiam de tot venialibus quibus ob suam negligentiam inquinatur, firmiter sibi proponit illa magis magisque vitare. Magna sit ergo contritio mortalium, et odio habebuntur venialia: detestentur venialia, et adaugebitur animae fidelitas in Dei famulatu. — « Scientibus perfectionis bonum, etiam minimorum peccatorum multitudo gravissima est » (Jo. Cass. *coll.* 23). — Non solum contritio, sed et attritio (probabilius) venialia remittunt etiam extra Sacramentum.

72. — Timor. — Et imprimis *time quod non timeas venialia*: aspernando enim modica, paulatim decides, magnae erga Deum ingratitude eris, et servus parum fidelis a tota coelesti curia cognosceris. Time ergo si habitualiter nihil facis leves reatus: quia « iudicio divino in reatum nequiores labuntur, qui distingere minora facta sua per negligentiam contemnunt » (S. Isidor. l. 2, de *Sum. bono*, c. 19, sent. 1). — « Ex consuetudine venialium peccatorum, securitas mentis et familiaritas Dei amittitur, et gratia multiformis negligitur » (B. Alb. Magn. de *Parad.*

animae, p. 1, c. 22). — ATTAMEN purgandi qui sibi vim faciunt ad venialia deliberata non admittenda, non debent turbari et nimio timore contristari, si ex fragilitate saepe adhuc advertentes labuntur in minoribus: sperent in Deo, totis viribus caveant a neglectu habituali venialium, et quotidie melius purgabuntur et in bono obfirmabuntur.

73. — Labor. — I. Purgatio exigit conatus assiduos ut anima non detineatur in viis Domini per offencula venialium: et ipsa ratio levitatis venialium magis nos sollicitos reddere debet, quia minus timeantur. In Dei famulatu pugnandum est contra pigritiam nostram, contra concupiscentiam, contra tot inimicos virtutis. Absque labore nihil fit: militia est vita hominis super terram. — II. « Inveniuntur certe plurimi, qui libenter sequerentur Dominum, si absque labore, sive dolore, et citra molestiam: nihil videlicet difficultatis sustinere valentes, atque ab ea tantum parte montem hunc Oliveti cupientes ascendere, qua ille Hierusalem respicit, hoc est, quatenus pacem praestat, nec aliquid difficultatis, sive molestiae continet » (Tauler. *Serm.* 3 *Ascens.*). — III. Memento quod « omnia Deus posuit in labore, ut in omni re mercedem praeparet » (S. Chrysost. *Hom.* 29, *sup. Matth.*): et ipso laborandi studio labor facilius tibi erit: « unusquisque quanto amplius pro aeterna vita laborare conatur, tanto ferventius ad laborandum Sancti Spiritus ardore succenditur » (S. Greg. Magn. l. 6, in 1 *Regum*, c. 3).

74. — Reparatio. — I. Utilissimum contra ve-

nialia est antidotum immediata aut quasi immediata reparatio singulorum venialium in specie (et generalis pro praeteritis), v. gr. sibi statim post veniale imponere parvam aliquam poenitentiam executione facilem, statim actum contritionis et humilitatis elicere. — II. Sic enim anima quasi perpetuo evigilata manet et non paucos virtutum actus facere potest quibus in charitate roboratur et fidelius Deo deservit. — III. Sic etiam vita compunctionis enutritur et obfirmatur magno cum animae profectu: felix qui etiam minima deflet peccata! Etenim « lacryma spiritum contritum lavat, ipsum devotum levat, spiritum malignum necat, terram cordis irrigat, sitim sedat, orando efficaciter impetrat... Vis amoris per lacrymas emanat; et ideo ubi amor non est, lacryma cessat » (S. Bonav. tit. 5 *dietae*, c. 3).

75. — **Pax cum humilitate**, seu pax humilis, quae ex diffidentia sui et fiducia in divino auxilio enascitur. — I. Patientiam habeat purgandus et cum proximo suo et cum semetipso, nec turbetur ob difficultates et labores, imo neque ob fragilitates, sed Deum invocet, exurgat, et strenue pugnet. — II. « Pax est voluntas Dei, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiae regula, magistra doctrinae, morum custodia, in rebus omnibus laudabilis disciplina, suffragium precum, supplicationum facilis atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo, dilectionis mater, concordiae vinculum, purae mentis indicium manifestum » (S. Petr. Chrysol. *serm.* 53). — III. Attamen « inchoatio pacis san-

ctorum est in hac via, non possessio: tunc autem erit plenitudo pacis cum ad Dei contemplationem absorpta carnis infirmitate convaluerint » (S. Isidor. l. 1, *de sum. bono*, c. 26, sent. 1). — IV. Memento denique quod « vera pax est, a Dei voluntate non dividi, et iis solis quae Deus diligit, delectari » (S. Leo I, *serm.* 9, *de Nat.*). — V. Ergo in pace quaere pacem, in pace committe bellum, in pace perge in viis Domini.

ART. III. — De vitando tepore.

76. — **Vitandus tepor**, et toto cordis affectu desiderandus magnus profectus in charitate: « Hanc « magnam perfectionem toto desiderio, ac universis « viribus suis quisque apprehendere conabitur, et si « fortasse in vita sua ad eam minime pertingerit, « bono sit animo, quia ad coeli palatia perductus, « ea ibidem perfruetur, tanto magis aut minus, « quanto majori eam vel minori est dilectione pro- « secutus, eamque ex toto corde plus aut minus de- « sideravit. — Merito proinde sui quisque desiderii « arcum ad summum usque extendere deberet, veris « namque desideriiis Deus perenniter vicem reddet, « etiam si quod desiderat, nunquam in hac vita con- « sequatur: hoc autem curet, ut amet eam ex corde, « et votis omnibus ad eam suspiret » (Tauler. *serm.* 1, *in Pasch.*). Unde sicut valde necessarium est ar- denter desiderare animae purgationem et perfectio-